

6



D.d. 42

Ob We

Ob gel

Theol. hist.
P. II. 27 727

ANDRONICI
Ejusdem nominis SECUNDI
IMPERATORIS CONSTANTI-
NOPOLITANI
AUREA BULLA
DATA

ANNO CHRISTI MCCCXXX

HENRICO

Henrici Mirabilis *Filio*, Alberti Magni *Nepoti*,
DUCI BRUNSVICENSI
Regiones Orientis perlustranti.

Cum NOTIS

HENRICI MEIBOMII

Lemgoviâ-Lippiaco-VVestphali

Poëtæ Cæsarei & in Acad. Julia Prof.
quondam celeberrimi.

Et

ADDITIUNCULIS

HENR. GÜNTERI THÜLEMARIÏ.

Tertium recusa

ANNO M DC XCVII.

HENRICUS GÜNTERUS THÜLEMARIUS

L. B. S. D.

Andronici II. Imperatoris Constantinop.
Auream Bullam, datam Anno 1330 HEN-
RICO, Henrici Mirabilis Filio, Alberti
Magni Nepoti, Duci Brunsvicensi, postquam Cla-
riss. Dn. Henricus Meibomius quondam Acad. Ju-
liae Histor. & Poët. Prof. celeb. ex Collegii Sancti
Blasii in Civitate Brunsvicensi florentis Archivo
(in quo custodiebatur) communicante Valentino
Mullero fcto & Collegii istius S. Blasii Decano
nactus esset, cum Notis & Narratione exquisita de
Ducis ejusdem Henrici posteris edidit. Quoniam,
autem nullum ferè editionis, tam à modo laudato
Viro, quàm ejusdem Nepote emendatissimo D.
HENRICO MEIBOMIO, Acad. Helmsta-
diensis impræsentiarum Medico & Polyhistore in-
comparabili anno 1660 procuratæ, in tabernis li-
brariis extat exemplum, ideo, ut faciam nonnullo-
rum Eruditorum desiderio satis, Bullam istam An-
dronici cum Notis Meibomianis iterum evulgo. Nar-
rationem autem illam, ante & post Notas quæ legi-
tur, utpote ad scopum meum non facientem, omisi.
In fine Notarum additiunculas quasdam adjeci,
quas ut candore tuo B. L. digneris, etiam atq; etiam
rogo. Scrib. Heidelbergæ in Museo d. 12 Januar.
Anno 1682.

Bulla Aurea ANDRONICI Imp. ita se habet:

ANDRONICHUS in \bar{x} po Deo fidelis Imperator & moderator Romeorum, Paleologus, excellentissimis Regibus, nobilibus & egregiis Principibus, Comitibus, Marchionibus, Capitaneis, Communitatibus, Dominis, Castellanis ac Potestatibus, Rectoribus, ac etiam universis & singulis, tam ecclesiasticis, quam secularibus, ad quos praesentes advenierint, salutem cum Imperiali affectione. Cum magnificus & nobilissimus Vir **HENRICUS DUX BRESVICENSIS**, cognatus carissimus Imperii nostri, per diversas mundi partes gressus suos dirigere intendat. Inde nos rogamus attente, ut amore Imperii nostri ipsum Henricum commendatum habere velitis, vestrumque ausilium, consilium & favorem tribuentes. Quidquid autem erga ipsum honoris & juvaminis nostro Imperio proprio reputabimus fore factum. In cuius rei testimonium praesens privilegium Aurea Bulla munitum munimine iussimus roborari. Datum in castro Dimonci nostri Imperii, Anno Dominicae incarnationis **MCCCXXX** die sexta Januarii.

Subscriptio prima.

Subscriptio altera.

Sigillum sive bulla aurea.



HENRICI MEIBOMII NOTÆ.

HActenus Bulla Andronici, cujus orthographiam ita religiose retinuimus, ut etiam vitia manere passi sumus. Latine autem ab Imperatore Græco scriptam non immeritò mirere: nisi suspicari libeat, sub *Latinis* sive *Francicis Caesaribus*, qui ut aliqui colligunt LX vel ut Pachymeris fragmenta lib. 2 annotant L annos & VIII menses *Byzantii* imperarunt, Græcos externæ Linguae commercium admisisse. Cui suffragatur, quod tunc temporis propter crebras præcedentium temporum ab Imperatoribus & Principibus Christianis pro recuperanda ex Barbarorum manibus Palæstina institutas expeditiones, peregrini coloni in Orientalibus regionibus magno numero confederant. *Veneti etiam cum Genuensibus & Pisanis*, qui mari omnes multum poterant, in lacero isto & dissipato, verèque, ut Poëta loquitur, *lamentabili regno* Græciæ, partim invitantibus, partim invitis Imperatoribus, nidificabant, deque potentia ac ditione sua cum alterius injuriâ amplificanda dilatandaque supra modum solliciti, linguam, quâ ipsi utebantur, in occupatas regiones & regna paulatim inferebant. Neque ignotum, quomodo Michaëlus qui ex Palæologis primus cum imperio fuit (quod tyrannidi suæ diffideret) de ineunda veteris & novæ Romæ Ecclesiarum concordia serio molitus sit, missaque Romam legatione splendida, à Papa, quantumvis reclamantibus Byzantinis sacerdotibus, aliquid fucatæ & evanidæ consensionis impetrarit. Quid? quod ipse ejus rei causâ ad Concilium Lugduni in Galliis à Gregorio X ad A. C. MCLXXII indictum accedere non detrectarit? Unde sine dubio per orientem linguæ Latinæ, tam in templis, quam aulis, major, quàm antea fuerat, usurpatio. Sed hâc scholâ omisâ Bullam ipsam nonnihil dispiciemus.

A*ndronichus in Xpo Deo*) Vitiosa statim in initio scriptio, ab inscitia scriptoris profluens: neque enim apud Latinos, quod monumenta nostra ostendunt, nedum apud Græcos aliter quàm Andronicus scribebatur. Titulus modestior magisque compositus est illo, quem usurpavit Manuel, Frederici Barbarossæ coætaneus. Qui ita apud Albertum Stadensem ad annum MCLXXIX ampullatur: *Manuel in Christo Deo fidelis Imperator, Porphyrogenitus (*) divinitus coronatus, regnator potens, excelsus & semper Augustus, & moderator Romanorum Magnificus*. Reponitur crambe illa à Crancio Saxon. lib. VI cap. XXXVII & *Metropol. lib. VII cap. V*. Ina-

B

nior

nior autem, multoque magis ridiculus alter ejusdem Manuelis strepitus (**)
 relatus à Doctissimo Camerario in Chronologia Nicephorianâ ad hunc
 modum: Μανουήλ ἐν Χριστῷ πιστὸς βασιλεὺς ὁ πορφυρογένητος, ῥωμαίων αὐ-
 τοκράτωρ, εὐσεβέστατος, αἰσιβαστατος, ἀυγεστος, ισαυρικὸς, κιλικὸς, ἀρμενια-
 κὸς, δαλματικὸς, ἐνγρικὸς, βοσευτικὸς, χροβαπτικὸς, λαζικὸς, ἰβηρικὸς, βελγα-
 ρικὸς, σερβικὸς, ζηχικὸς, χαζαρικὸς, γοτθικὸς, θεοκυβέρνητος, κληρονό-
 μος τῶν σέμματων τῆς μεγάλης Κωνσταντίνης, ἢ ψυχῆ νεμόμενος πάντα τὰ
 τέτρα δίκαια. Quæ latinè ita sonant: *Manuel in Christo fidelis Rex, Purpuri-
 gena, Romanorum Imperator, pietate præstantissimus, semper venerandus,
 Augustus, Isauricus, Cilicicus, Armeniacus, Dalmaticus, Ungricus, Bosenti-
 cus, Crabaticus, Lazicus, Ibericus, Bulgaricus, Servicus, Zechicus, Chazar-
 icus, Gotthicus, qui gubernatur à Deo, hæres coronæ Magni Constantini, Et
 animo colens omnia jura ipsius.* En tibi ineptias variorum ac multiplicium
 titulorum coacervatorum, quos aliæ quoque (***) gentes usurparunt, sive
 Græcorum levitatis imitatione, sive propriæ vanitatis arrogantia.

Palæologus) Fuit Andronicus ὁ δευτερος. filius *Michaeli* junioris, *Andro-
 nici* primi nepos, pronepos *Michaeli* senioris cognomento *Palæologi*, qui
 sub specie tutelæ filiorum *Theodori Lascaris* imperium arripuit, coronatus
 A. C. MCCLIX. Latinos Constantinopoli ejecit triennio post, utque impe-
 rium per tyrannidem occupatum sibi suisque confirmaret, ad concilium
 Lugdunensè A. C. MCCLXXII celebratum concordia cum Latinis ineundæ
 causâ accessit, sed A. C. MCCLXXXIII vitam cum morte commutavit, cum
 quinquagesimum octavum annum superasset.

Hujus filius fuit Andronicus, ὁ πρῶτος sive senior, cui duæ fuerunt uxo-
 res: prima *Maria* Hungarica, mater *Michaeli* junioris, qui vivo parente
 coronatus & A. C. MCCXCIV die Constantini: verum ante patrem obiit A. C.
 MCCCXIX relicto filio *Andronico* juniore.

Altera conjunx *Andronici* senioris fuit *Irene* Longobarda, filia *Boni-
 facii V* Marchionis Montisferrati, mater multorum liberorum, *Demetrii*,
Theodori, *Joannis*, & *Simonidis* filia, nuptum datæ *Crali* Regulo Serviorum.

Atq; hæc est prima affinitas inter duas familias æquè illustres, *Palæologâ*
Græcam & *Brunsvicensè Germanicam*: nam supra meminimus in matri-
 monio *Alberti Magni Brunsvigii* fuisse *Adhelizam Montisferratensè*. Ex
 fide *Chronici* ante CCC & LX circiter annos rithmis concinnati hæc affir-
 mo, neque moror vel *Chronicon Saxonicum*, vel recentiores, *Alexinam*,
Aldebrandini Marchionis Estensis filiam *Alberti Magni* conjugem secun-
 dam inculcantes. Sed quid vetat quin rithmos ipsos adjiciamus?

Von Bruneschwich dher Bursche riche/
 Keit darnach viel Burschenliche/

Nach

Nach einer Maget schone /
 So Engehlant von dher zo lone
 Her süßer minne gerte /
 Dher in dhe Königinne werte /
 Dhe ir Nume was.
 Dhe Maget se im gaph als ich las.
 An eren harte menichvalt
 Bil wunderen wol se was gestalt
 Ze name was Adhelize;
 Seziret wol mit vlize
 Was ir lip vern und na.
 Marchreue Otto von Munsera
 Seyt men / daz ir Bruder were
 An Lumbardie ein Burste mere.

Nunc in Graciam ad Palæologos redeundum. In his Andronicus senior nepoti suo Andronico conjugem dedit *Irenen Alemannam*. Hæc sine dubio Henrici Mirabilis filia est Adelheidis, quæ secundum Chronicon Saxonum Græcorum Regis filio copulata fuit. Nec quemquam movere debet, quod quæ Nicephoro Gregoræ est *Irene*, Chronico prædicto *Adelheidis* appellatur. Potuit enim Andronicus eodem modo, quo secundæ conjugis ex Longobardiâ sive Sabaudiâ, ut aliqui volunt, oriundæ, nomen mutavit, prioris etiam nomen, utpote Græcis peregrinum & insolens, repudiare, aliudque substituere (****) de quo planè sum certus. Impingit autem Gregoras, quando Irenen, vel ex *Alemanniâ*, vel ex *Occidentali Francia* ortam fuisse dicit. *Orientalen* enim voluit (debit sanè) dicere *Franciam*, quâ appellatione veteres magnam Germaniæ partem complexi sunt, ut Otto Frisingensis *lib. vi cap. 2* & Gotefridus Viterbiensis *parte xvii* innuunt.

Nuptiæ hæ contractæ sunt Anno Christi mcccxiix, ut observavit Gregoras *lib. iix*, liberis tamen caruit Irene, ut idem Historicus. Vivendi finem fecit anno conjugii viii, qui est Christi mcccxxvi. Cætera quæ ad Andronici historiam pertinent: quomodo avum Imperio exuerit, inque monasterium detruserit à Nicephoro Gregorâ *lib. viii. ix & x* prolixè exponuntur: sed quæ huc non pertinent.

Altera autem hæc est domus Brunsvicensis cum familiâ Palæologâ affinitas & quidem propinquior, incertum per quam occasionem contracta: nisi suspicari velimus, generosam Virginem apud cognatos Montisferratenfes in Longobardia, vel alibi extra patriam in regio, aut alio illustri gynæceo educatam, indeq; petitam. Quam conjecturam sub iudicium lectoris venire patimur.

Nobi-

Nobilibus & egregiis Principibus) *Nobilissimus* olim Imperator audiebat, ut est in *L. quaris 3 D. de natal. restitut.* Postmodum designati Cæsares, Imperatorum Uxores, & qui ab Imperatoribus dignitate proximi erant, hoc titulo fuerunt honorati, quod pluribus docet Jul. Cæs. Bulengerus *de Imperat. Rom. lib. 2 cap. ix.* Andronicus igitur Imp. hoc in loco Principes sibi subjectos, Comites & Marchiones, respectu sui *nobiles* tantum vocat, & *egregios*, qui infimæ nobilitatis alias tantum erant. At *Henricum Brunsvicensem* Principem exterum, hospitem & cognatum, vocat *nobilissimum*, tanquam à se proximum, vocat *magnificum*, qui titulus cum illustribus & illustrissimis coincidebat. Unde in *L. XXXII Cod. de appellat.* Præfectus pratorio § I illustris § IV magnificus appellatur. Sequentibus temporibus, & cum primis in Germania, magna simplicitas in titulis & modestia viguisse deprehenditur. Imperatores ipsi, Principesque sæpe magnitudo Ecclesiasticorum Politici, longè inferiores jam dictis titulos non averfati fuerunt, quod multa me docuere monumenta. Exempla quædam addam. In literis Conradi de Dorstad, nobilis Dynastæ, sive Baronis Saxonici ad annum MCCLVII hæc habentur verba: *cum conniventia honorabilis viri Domini Wilhelmi Regis Romanorum.* Literæ Magni Torquati Ducis Brunsvicensis hoc modo clauduntur: *Hir hefft over gewesen de Erbare Vorste/ Bischoff Albert van Halverstadt/ anno MCCCCLXX. Wernerus & Otto, nobiles Dynastæ in Hadmerschleven & Egelen ita affantur Ottonem Ducem Brunsvicensem: Werner und Otte, de Edlen von Hadmerfleve/ und Heren tho Egelen beden dem Achtbaren Vorsten useme Heren Hertogen Otten von Brunschwick / use berede unde willege Denste: literæ datæ sunt A. C. MCCCXLI. Hugo miles & Johannes famulus, dicti de Escherte, scribunt Domino suo, Johanni Comiti de Roden & Wunstorpe: *Viro nobili & honesto: in literis datis anno MCCCXXIX. Otto Dux Brunsvicensis jam dictus, vel alius ejusdem nominis, in instrumento quodam donationis se ipsum nominat Dom' cellum de Brunsvick: annus adscriptus est MCCCXXIX. Quantum verò discrepat simplicis istius seculi modestia ab insolenti lascivientis temporis nostri fastu.**

Dux Bresvicensis.) Alterum *σφάλμα* scriptoris. Familiare autem tam Græcis, quam Latinis auctoribus, nostratia nomina foede corrumpere, partim imperitia linguæ, partim præpostero quodam elegantia studio. Exempla invenias apud Strabonem, Cæsarem, Florum, Tacitum aliosque ex veteribus. In recentioribus nemo ea in re magis ineptit, seu potius insanit, quam Paulus Jovius. Nec reticendum, quod Ottonem Comitem Tarentinum, Henrici Mirabilis filium, de quo multa mox dicturi sumus, Bonfinius *Hungar. rer. decade II cap. 3* pro Brunsvicensi, Brundusiensem Ducem

cem appellat. Audiant hac de re scriptores Aventinum rectè sentientem in Nomenclatura annalibus præmissa: *Propria nomina, inquit, non sunt vertenda, sed literis aucta aut diminuta, Romana incude formanda: ita Plinius docet: sic Hermolaus commonet, & ego apud illustres rerum scriptores diligentius observavi.*

Cognatus carissimus.) Cognatum vocat, quem *affinem*, vel *sororium* dicere debebat. Forte quia Irene Augusta, Henrici soror, in vivis esse defierat, arctioris necessitudinis vocabulum omissum.

Privilegium aurea bulla munitum) Bullæ appellatione inclinantis & sequioris Latinitatis scriptoribus veniunt literæ ab Imperatoribus aut Pontificibus profectæ: aut potius sigilla literis ipsis appensa. Hugowicio Lexicographus vetus: *Bulla etiam quandoque dicitur sigillum, quod cera imprimitur, unde bullare, sigillare, bullatus, signatus; Græcis recentioribus est βέλλα: unde βελλεύειν, signare, ἀβελλωτός, non obsignatus.* Erant autem bullæ illæ, sive sigilla, nunc aurea, nunc argentea, nunc plumbea, nunc cerea, quibus Imperatores olim pro diversitate personæ, ad quam, aut materiæ, de qua scribebant, utebantur. *Aurea Bulla* Græcis communiter χρυσοβέλλον dicitur. Luitprandus Episcopus Cremonensis Histor. Legat. suæ ad Niceph. Phocam Imp. Constantinopolitanum, χρυσοβέλλον appellat, & interpretatur *epistolam auro scriptam*; sed male (††) *aureo enim sigillo signatam* dicere debuisset. Talis bulla fuit Caroli IV Imp. illa, quæ Κατ' ἐξοχήν hodie AUREA BULLA dicitur, nemini non nota, talis hæc est de qua nos agimus. Datum autem hoc honoris Henrico Brunsvicensi, ut aurea bulla ipsi provideretur; quum Papam Romanum sui temporis eo dignari honore noluerit Nicephorus, quem dixi, satis arbitratus, si literas argento signatas ei mitteret, ut idem habet Luitprandus. Erant autem Bullis impressæ imagines Cæsarum, etiam apud Romanos: hinc diplomata non pauca ita clauduntur: *ad cuius rei memoriam, & robur perpetuo valiturum, præsens privilegium fieri, & bullâ aureâ typario nostræ majestatis impressa iussimus communiri.* Vide Cuspinian. in *Austria*, & Knichium in *Epopsi*, ubi Friderici II Imp. Diplomata.

Anno Dominicæ incarnat. M CCC XXX.) Græci annos suos non à Christo nato, sicut Latina Ecclesia, sed ob Orbe condito numerant: secuti tamen non fontes Hebraicos, sed vitiosam Septuaginta Interpretum translationem. Fuit autem annus, quo datæ hæc sunt literæ, Græcis ab Orbe Condito MMMMMM DCCC XXXIIX quo tempore Andronicus II añorum erat XXXIV. Irene, quæ nostris Annalibus Adelheidis, conjux ejus ante quatuor annos tum è vivis excesserat.

Hactenus de Bulla sive literis Andronici Imperatoris: sequitur, ut de

C

sub-

subscriptionibus sive signis aliquid adjungamus. Subscriptiones rubri sunt coloris, unde conjicio eos ipsius Andronici esse. Nam istiusmodi morem usurpasse Augustos, aliisque indulgisse, patet ex Gregorâ, cujus lib. iv hæc sunt verba: *Pater (Michaël) Andronico (seniori filio suo) permisit subscribere rubris literis.* Pachymerius lib. iix. *Imperator cinnabari subscripsit.* Vid Jul. Cæs. Bulengerum loco adducto, cap. x. Nisi forte credamus subscriptionum alteram ex his esse magni Logothetæ, qui nobis est Cancellarius. (†††) Fidem facit Curopalates *lib. de Officialibus Palatii Constantinopolitani.* Ubi sic scribit: ὁ μέγας λογοθέτης διατάττει τὰ περὶ τῆ βασιλείως ἀπο σελλόμενα προσάγματα ἢ χρυσόβελα πρὸς τε Ρῆγας, Σουλτάνους, ἢ Τοπάρχους. Καὶ τῆτο μὲν ἴδιον τῆ μεγάλῃ λογοθέτῃ ὑπερέτημα. hoc est: *Magnus Logotheta disponit mandata & bullas aureas quæ ab Imperatore mittuntur ad Reges, Sultanos & Toparchas. Atque hoc quidem proprium est magni Logothetæ ministerium.* In hoc munere temporibus Andronici junioris erat *Metochites*, teste Nicephoro Gregorâ.

Sigillum, sive ipsa bulla aurea, cujus ab utraque parte figuram repræsentamus, serico violacei coloris ligamento, literis ipsis in membrana rudi scripturâ exaratis, adstringitur. Est autem ex auro, non Pannonico, sed Rheno, fabrefactum ex duabus laminis tenuissimis ita conferruminatis, ut in medio leniter extuberantes cavitatem efficiant, per quam filamenta deorsum versus transeuntia, subtus se in nodulum colligunt.

De titulo Δεσπότης, qui Andronico in sigillo tribuitur, sciendum, generaliter pertinuisse ad ipsum Augustum, quique ab eo proximi, sive naturâ tales essent per sanguinis necessitudinem, sive institutione. Specialiter ejus erat proprius, qui secundus à majestate Imperatoriâ, quem recentiores aliqui Σέβασον appellarunt: Nadabus Agmonius (††††) Notis in Curopalatem. Animadvertas autem geminum σφάλμα scriptionis in sigillo: primum est, quod in ultima syllaba vocis ΔΕΣΠΟΤΗΣ pro Η usurpatur Ι, alterum quod ΠΑΛΕΟΔΟΓΟΣ scribitur pro ΠΑΛΑΙΟΔΟΓΟΣ. *Hactenus Cl. Meibomius.*

HENR. GÜNTERI THÜLEMARI ADDITIUNCULÆ.

*

ad verb. *Porphyrogenitus.*)

I. De hujus nominis origine non una est Scriptorum sententia. Nonnulli à purpura seu purpureo vestitu, quo Imperatorum infantes conspicui erant, derivant, atque hanc in rem adducunt Herodianum *in Jul. lib. 2*

τῆντε

τήντε βασιλείον πωρφόραν ἀειβάλλοντες & Claudianum de 3 Consulat.
Honor.

— — cognata potestas.

Exceptit Tyrio venerabile pignus in ostro.

& 4 Cons. Honorii:

Acclivis genatrix auro, circumflua gemmis

In Tyrios enixa thoros: ululata verendis

Aula puerperiis

Et alibi:

— — Et patrio felix adolescens in ostro,

Membraque vestitu nunquam temerata profano

In sacros cecidere sinus.

2. Marcus Diaconus Gazensis Ecclesiae in Vita S. Porphyrii Episcopi sui Theodosium Juniorem in purpura natum scribit, atque adeò fasciis purpureis illigatum & circumvolutum oblatum Imperatrici.

3. Senator (allegante Dn. Carolo du Fresne in glossar. voc. Purpurati) lib. 2 Epist. 1 hanc in rem ita: Placidiam mundi opinione celebratam purpurato filio (Valentiniano) studuisse percipimus Apud eundem lib. 8 epist. Athalaricus Rex purpuratam infantiam appellat filium. Apud S. Hieronymum in epist. 9 Nebridius gener Stilichonis purpuratorum socius h. e. filiorum Imperatoris fuisse dicitur.

4. Guilelmus Neubrigensis hist. de gest. Angl. lib. 3 cap. 4 & Guil. Malmesburiensis cognomine Sommerfet hist. lib. 3 Manuelis Imperatoris filium Alexium etiam purpuratum vocant.

5. Applicare huc quoque quidam volunt quod Commodus Imp. de se inquit: Nunc me vobis, fortissimi milites, fortuna Principem defuncto patre, non quidem electum, sed in Palatio natum atque educatum dedit, ut qui nec in plebejis vagi cunabulis: simul enim me in lucem mater edidit, veste Imperiali amictus sum, eodemque momento me sol hic Principem atque hominem vidit.

6. Pontifex Johannes VIII epist. 125 Ludovicum Balbum Franciae Regem vocat Porphyreticum, quasi dicat in purpura natum, quemadmodum de Honorio Idacius, & Ottone 3 Imp. dixit Author vite S. Adelberti Episcopi Pragensis cap. 20 & non alium intelligunt quam quem in Imperio natum scribit Conradus à Lichtenau Abbas Urspergensis.

7. Hæc & similia pro ista opinione allegantur. Sed insuper habitis istis, autoritate Græcorum & fide dignissimorum Scriptorum coætaneorum non à purpura, sed loco in quo conjuges Imperatorum partum edebant, nomen Porphyrogeniti derivamus. Putamus autem his magis quam peregrinis hominibus fidendum.

8. Theophanes Byzantinus (cujus verba adduxit Bertramus in notatiunculis ad Reinesii commentat. de Palatio Lateran.) eleganter perorat causam inquiring: *Olim quidam erat locus Imperatorius ad procreandos liberos separatus, quem Porphyram adpellabant, & in eo loco natos Porphyrogenetas; rursus alia sedes ad nutriendos infantes, ubi sensim etate proficerent, & omnem regiam & Imperatoriam disciplinam sub pedagogis & magistris caperent. Cum autem ad perfectionem etatis & disciplina pervenisent, in ipsum regium & Imperatorium thalamum admittebantur, vitam cum patre ac rege acturi & ejus bonorum communionem adepturi.*

9. Idem testatur Luitprandus in *histor. rer. per Europam gestar. lib. I c. 2*, verbis: *Porphyrogenitum non in purpura sed in domo, quae Porphyra dicitur, natum appello. Et quoniam res procesit in medium, quod de hujus Porphyrogeniti genesi audivimus, proferamus. Constantinus Imperator Augustus, ex cujus nomine Constantinopolis est sortita vocabulum civitas, Domum istam adificari jussit, cui Porphyra nomen imposuit, voluitque successuram nobilitatis suae sobolem istic in lucem prodire, quatenus qui ex suo stemmate nascerentur luculenta hac appellatione Porphyrogeniti appellerentur.*

10. Quamvis hic Cremonensium Praesul quae narrat ipse Constantinopoli observaverit, cum ab Italiae Rege Berengario ad Nicephorum Phocam Constantinopolitanum Imperatorem legatus esset, in eo tamen errat, quod Constantinum M. ejus rei authorem facit, forsitan deceptus fuit à vulgo, qui in omnibus antiquitatem praeveritate adfectat, sequiturque, & clarorum virorum famam non veris laudibus, saepe etiam fabulis, pia scilicet fraude & mendacio officioso ornare solet. Id quod Constantino vel maxime contigit, uti Cunaeus praefat. in *Juliani Caesares* demonstravit. Neque verò id siluisset Anna Comnena, quae annis post Luitprandum 200 se *πορφύρας τεθνήμημα ἢ γέννημα*, in *purpura natam & educatam* jaecat *lib. I Alexiad.* si ejus rei auctorem fuisse Constantinum M. cujus nomen & famam adeò ambiebant omnes, & ad quem genus suum referre pro divino quodam habebant, indubitato tum credidissent, *Celeberr. Reines. de Palat. Later. p. m. 69.*

11. Eadem Anna Comnena (de cujus ingenii dotibus vide quae in *not. ad Sapphirum Constantii Freh. n. 5* scripsi) *lib. 7 Alexiad.* edit. à Davide Hoeschelio anno 1610, expressis quoque memorat verbis domum fuisse nomine *purpuram* partui Augustarum dicatam *τὴν βασιλίδα κατὰ τὸ ἀφωρισμένον πάλαι ταῖς τιπτέσαις τῶν βασιλίδων οἴκημα Ἰπὶ ταῖς ὠδίσις εὐρηκῶς πορφύραν τῶτο, ἀνεκαθεν ὀνομάσασιν ἐξ ἧς ἢ τὸ τῶν Πορφυρογενήτων ὄνομα εἰς τὴν ὀικομένην διέδραμε.*

12. Chryfologus ait: *purpuram* esse cubiculum in quo Imperatrices partu solverentur & filios parerent. Huc faciunt illa Nicetæ Choniatis *lib. 5 hist.* ὠκονομήθη ἡ ΠΟΡΦΥΡΑ πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τῆς γενήσεως. ὡς δὲ κατέπειγον αἱ ὀδύνηαι καὶ ἐν τῷ τῆς ΠΟΡΦΥΡΑΣ ἢ δεσποίνια ἦν. i. e. *PORPHYRA exstructa est ad excipiendum partum. Cum autem urgeret partus & intra PORPHYRAM domina esset.*

13. P. Diaconus *lib. 23* ita: incluserunt Constantinum Irenes filium in *domo purpurea in qua & natus & necatus.* Hinc Manuelem Comnenum, ut sanguinis Imperatorii genuinum germen, πορφύρας χρυσὴν ρόδον *auream Purpurea rosam* appellat Constantinus Manasses *in annal.*

14. Hanc Domum idem Manasses *Synops. hist.* vocat *domunculam*, quando de eodem ipsi sermo est Constantino:

ἐκεῖ τὰς ὄψεις ἐν κοπέαις καὶ σβεδαῖς τὰς κόρας
ὅπως τὸ πρῶτον ἔβλεψεν ἠλίε τὰς λαμπάδας
ΠΟΡΦΥΡΑΝ ὀνομάζουσιν ἔκαινον τὸν οἰκίσκον.

i. e. *illic oculi sunt ei eruti & pupula extincta, ubi primum vidit solis lampadem, purpuram vocant hanc domunculam.*

15. Et qui ex Imperatorum liberis in *hac domo* seu *Purpura* non nascebantur, Porphyrogenitorum nomine haut coruscabant. Id apparet ex Zonara, qui inter Constantini Ducæ filios tertium Πορφυρογενετὴν appellat, Michaëlem autem, & Andronicum neutiquam, licet natu majores, quoniam hos ex ἰδιωτεύοντι ἔτι Constantino, illum ex βασιλεύσαντι conceperat & in Purpura pepererat Augusta Eudocia. Constantinum etiam Leonis Philosophi filium, Basilii Macedonis nepotem, ideò Porphyrogenetam, testibus Luitprando & Balsamone, nominarunt, quia in domo Imperatoria, quæ *Porphyra* dicebatur, natus, ob quam quoque causam & Leoni patri Luitprandus Porphyrogennetæ nomen tribuit, quod tamen ejus natu majori fratri Constantino non contigit, quia nec ei in *Porphyra* nasci contigerat. *Reines. d. lib. p. 71.*

16. Ex his affatim constat de veritate nostræ sententiæ, quam etiam amplectuntur Leonclavius *in not. ad Const. Manass.* Matthias Martinius *Lexic. etymol. voc. Porphyrogenneta* Celeb. D. Joh. Christ. Becman. *notit. dign. illust. diff. 2 cap. 3 n. 1*, Cl. Joh. Jacob. Hofman. *in Lexic. univ. Voc. Græcia.* Thom. Reinesius *d. lib. p. m. 6.*

17. Duravit autem ista denominatio usq; ad excidiū Constantinopolis sub Constantino ultimo año 1453. Discimus id ex Græca epistola (quam è MSto

D

exem-

exemplo edidit Martinus Crusius *Annal. Sued. part. 2 lib. 12 c. 15 in princ.*)
Johannis Dociani ad filiam Constantini istius Imp. Helenam decimum in-
gressam ætatis annum, cujus præceptor erat, in qua eam *προφύροβλασον*
αυθεντόπριλαν τῶν Ρωμαίων vocat.

18. *Divinitus coronatus.*) Imperatores Byzantini non solum in diplo-
matibus *θεοσεφεϊς à Deo coronati*, dicuntur, sed & ipsorum nummi osten-
dunt Servatorem nostrum sibi ad latus positum & diadema manu suâ im-
ponentem, ad exprimendum videlicet titulum illum *θεοσεφῶν, à Deo coro-*
natorum, M. Freher *de re monetar. lib. 2 c. 1 & exposit. numism. argent.*
Constantini Imp. Byzant.

19. Hunc quoque titulum Romanos Imperatori Carolo M. Pipini filio
tempore coronationis anno Christi 800 dedisse narrat Eginhardus *in vit.*
Caroli Magni, dum ita ei acclamarunt: *Karolo Augusto à Deo coronato*
Magno & Pacifico Imperatori vita & victoria. Ipsum etiam Carolum
hunc usurpasse postea titulum apparet ex privilegio anno 804 Ecclesiæ Os-
nabrugensi dato, cujus initium (allegante Eruditorum Principum Phosporo
Reverendiss. & Celsiss. Domino *Ferdinando Furstenbergio* Episcopo Pa-
derborn. & Monaster. *in aureolis Monumentis Paderbornens. pag. m. 325*)
ita habet: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Karolus Serenissi-*
mus Augustus à Deo coronatus magnus pacificus romanum gubernans im-
perium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum.

20. Idem obtinuit apud subsequentes, ceu constat ex sacramento, quod
Carolo Calvo Episcopi, Abbates & alii Italiæ Optimates in conventu Tici-
nensi anno 876 præstiterunt, cujus ex Goldasti *tomo 2 Constitut. Imper.*
pag. m. 30 in dissertat. de sororibus Caroli Magni Imp. num. 18 tale ad-
duxi exordium: *Gloriosissimo & à Deo coronato Magno & Pacifico Im-*
peratori Domino nostro Karolo perpetuo Aug. Nos quidem omnes Episcopi,
Abbates, Comites ac reliqui, qui nobiscum convenerunt, Italicæ regni opti-
mates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta perpetuam opta-
mus prosperitatem & pacem. In promptu est Friderici I. Imp. epistola ami-
ca ad Ludovicum Galliæ Regem 1162 scripta, ubi tali utitur titulo: *Frider-*
ricus Dei gratia Rom. Imp. à Deo coronatus, Magnus & Pacificus, Incly-
tus, Victor ac Triumphator, semper Augustus, apud Goldast. *tomo 1 Const.*
Imp. pag. 278. Alius epistolæ principium ejusdem Imp. Friderici vid. *heic*
num. 23 ubi formulam *à Deo coronatus* etiam invenies.

21. *Semper Augustus*) De hoc prædicato vid. quæ prolixè diximus *in*
diff. de Titulo semper Augusti.

22. *Moderator Romanorum*) Græci Imperatores quemadmodum
Byzantium suum dicebant *novam Romam (α)* & Thraciam *Roma-*
niam

niam, ita se etiam perpetua cum Imperatoribus Germanicis æmulatione Romanorum Imperatores (& quasi illud satis haut esset) Moderatores appellabant & scribebant. Eundem titulum Balduinum Flandrum tempore sui in Græcia regiminis adhibuisse legitur apud Gotefridum monachum in *annal. ad ann. 1203. Balduinus Dei gratia fidelissimus in Christo Imperator à Deo coronatus Romanix Moderator & semper Augustus, Flandriae & Hinchau Comes, & Crusius part. 2 annal. Suev. lib. 12 c. 10* hunc ejus titulum adducit: *Balduinus Dei gratia fidelissimus Imperator Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romanus Moderator, & semper Augustus, Flandrensis & Hennevogiensis Comes.* Titulus quoq; Romanorum Imperatoris occurrit in celeberrimo illo nummo Heraclii Imp. (β) quem depinxerunt Octavius Strada *lib. de vitis Imp. & Cesar. p. m. 270 n. 320.* Just. Lipsius *de Cruce lib. 3 cap. 16* Adolph Occo *lib. de numism. Imp. Fortunius Licetus de reconditis antiq. lucern. lib. 6 c. 79* Casalius *de veter. sacr. Christian. ritib. cap. 100* Nobiliss. D. Carol. Patinus *introduction à la Connoissance chap. 20 p. m. 175* Celeb. D. Jac. Oiselius, Amicus noster honor. thes. num. tab. 115 illustr. Dn. Carol. du Fresne *dissert. de inferioris ævi numismat. tab. 4 &*, quem primo loco nominare debebam, Dn. Joh. Christ. Wagenfeilius, Vir πολυμαθής ατ, Amicus & Fautor æstimatiss. *disput. Altorfinæ juris publici de Imp. qui post Francicos Germanico imperio præfuerunt pag. 51.* Johannes quoque Palæologus in grandiusculo numismate dicitur: βασιλεὺς ἢ αυτοκράτωρ Ρωμαίων teste Frehero in *d. exposit. Nummi Constant. & Constantinus Imp. in nummo isto argenteo (quem possedit, cujusque ectypon anno 1600 & 1604 publicavit laudatus Freherus) dicitur: Imperator & Moderator Romanorum.*

(α) Hinc etiam Ludovicus 2 Imperator in literis de anno Christi 871 apud Gold. tom. 1 *Const. Imp. pag. 195* Basilium Byzantinum Imp. appellat *gloriosissimum Imperatorem NOVÆ ROMÆ.*

(β) Hujus numismatis Heracliani archetypum æreum in Museo Nobil. Dn. Joh. Andreae Viatis 1679 d. 18 Junii Noribergæ inspexi. In gazophylacio Regio Gallico aureum ejus archetypum extare scribit Cangeus *d. diss. de infer. ævi num. n. 65* quale etiam habuit Strada, uti dicitur *d. p. 270 de vit. Imp.*

* *

ad verb. *Manuelis strepitus.*)

23. Manuel hic Imperator sine dubio tanto titulorum firmate usus est, ut ægre faceret hosti suo Imp. Friderico Barbarossæ, & par pari referret, qui epistolam ad se 1177 scriptam ita orsus fuerat: *Fridericus divinâ favente clementiâ inclytus Triumphator, Romanorum Imperator à Deo coronatus, sublimis in Christo, Fidelis, Magnus, Pacificus, Gloriosus, Cesar, Græcorum Moderator & semper Augustus.* allegante Goldasto tomo 1 *Constit. Imper. p. 284.*

24. *In Christo fidelis*) Non solum hoc epitheton in titulis Byzantinorum Imp. occurrit, sed & in chartis, membranis, faxis, aliisque operibus; eadem planè formâ, quâ Franci & Germani se *Dei nutu, gratiâ, misericordiâ, divinâ ordinante providentiâ, divinâ favente clementiâ, divinâ propitiante gratiâ, divinâ ordinante clementiâ, gratiâ Christi, divinâ disponente gratiâ, divinâ indulgentiâ, piâ Dei ordinatione, divino duntaxat munere, omnipotentis Dei clementiâ instimulante, divinâ præveniente gratiâ & clementiâ, divinâ annuente & auxiliante clementiâ, divinâ respectu clementiâ, supernâ favente clementiâ, divinâ permissione, divinâ largiente misericordiâ, divinâ propitiante clementiâ, altitonantis Dei largisnuâ clementiâ, divinâ favente gratiâ clementiâ, disponente Domino, Imperatores, Cæsares Regesque, item Orthodoxos, Christianissimos & Catholicos Reges atq; Principes scribebant.*

* * *

ad verb. *alia quoque gentes.*)

25. Sapor Persarum Rex scribens Constantio Imperatori hos adhibet titulos: *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater solis & lunæ* Amm. Marcellin. *hist. lib. 17.* Nostra tempestate Schach Abas simili fere titulo usus est in literis salvi conductus datis anno 1628 Anglico Legato hoc tenore in Belgico idiomate (ceu ex Herberti itiner. p. cxi adfert Cl. D. Beman *not. dign. diff. 3 cap. 3 num. 2*) *de Hooge ende machtige Starr, vviens hof met de sonne bedeckt is, vviens bevveginge is te vergelycken by het högste firmament &c.*

26. Sultanus Turcarum Imperator hunc habuit teste Cl. D. Ernesto Gockel. *cap. 1 de Europ. Regib. num. 167* titulum: *Sultanus Rex & filius Imperatoris Turcici, pugnator Dei Græcorum, Babyloniorum, minorisque Hierusalem Rex, Bassa Jordanoorum, Idumæorum & Tamasinorum, gaudium Dei, majoris Ægypti Rex, illuminatus Princeps Alexandrorum, Armeniorum & omnium eorum qui in paradiso mundano vivunt, filius Mahumeti & custos civitatis suæ, administrator paradisi mundani, Regens sancti sepulchri Mahometani, Rex Regum, Princeps Principum, dominus dominantium, ab Eois in Hesperos, bellator Deorum, & super omnes in mundo degentes sublimatus, Deus unionis, Dominus sanitatis, Angelus Paradisi, strenuus persecutor totius Christianitatis, spes solamenque Ethnicorum, Dominus & heres mundi.*

27. Amurathes III epistolâ ad Rudolphum 2 Imp. missâ appellat se *omnipotentis Dei filium* apud Heidfeld in *Sphinge Theol. philos. c. 44 in coroll.* Sultani Murathi talem adfert titulum Breuning *Orientalischer Reise ersten Meerfahrt fol. 100.* *Sultan Murath, Sohn des Sultan Selims Herr*

Herr zu Constantinopel/ das ist/ Neu Rom/ König in Africa und Trapezunt/
Ponto und Bende/ Cappadocia &c. König über die ganze Welt/ oder/ über
alles so unter dem Himmel zu finden/ durch Vorsicht Gottes des HErrn/ zu
Vernichtung und Untergang der allgemeinen Christenheit bestimmet und ver-
ordnet/ Herr und König über alle/ so mein Reich anfechten und beleidigen.

28. Amicitiae cum Henrico 4 Galliae Rege initae tabulas anno 1604
10 Maji lingua Turcica scriptas ita orditur Achmet Turca: *Ego qui sum
Imperator victoriosorum Imperatorum, distributor coronarum in Princi-
pes maximos orbis terrarum, servus duarum civitatum sacratissimarum
& augustissimarum Mecha & Medinae, protector ac gubernator sanctae ci-
vitatatis Hierosolymae, Dominus maximarum partium Europa, Asia & Afri-
ca, acquisitarum victorioso nostro acinace & horribili lancea nostra &c. qui
sum Imperator Achmet, filius Mahometi Imperatoris &c. Dei gratia refu-
gium magnorum orbis Principum & honorabilium Imperatorum asylum,*
ex Faret en l'histoire chronologique des Ottomans pag. 28 Limnaeus add. ad
lib. 4 jur. publ. cap. 6 num. 15.

29. Turcarum Tyrannus Ibraimus, Mahometis IV Pater, edictum ali-
quod anno 1645 ridiculo hoc titulo incipit: *Sultan Ibraim Invictissimi Im-
peratoris filius, Nepos omnipotentis Dei, Rex Turcarum in Gracia, Baltica,
Sarmatia, Damasco, Phrigia, Aegypto, Alexandria, Armenia, Arabia, Re-
gum hujus mundi Rex, capitis Paradisi habitator, Episcopus totius Asia,
Africa & America, & Magnae Europa partis, Salvator, caput in Jericho,
Guardianus sepulchri Mahometis & sepulchri Dei, & suorum operum
maximum totius orbis luminare, ab oriente usque ad occidentem, omnium
incolarum, Dominus Dominorum, Rex Regum, Princeps Principum, terror
& flagellum omnium Christianorum, Ottomannorum & Circumcisorum
spes & inestimabilis thesaurus, sanctus & reverendissimus.*

30. Solimannus in credentialibus literis legato suo Ebraimo Strotsche-
nio in causa octennalium induciarum ad Ferdinandum I. Imp. datis apud
Schardium hist. oper. rer. Germ. tom. 3 fol. 1089 & Goldast. politic. Imper.
part. 1 pag. 156 ita ampullatur: *Ego Dominus omnium dominantium,
Regnator orientis & occidentis, qui potens sum facere & non facere
quacunque libet, Dominus totius Gracia, Persiae, & Arabia, Dominator
omnium eorum quacunque Regi & Domino subjici possunt, Magnus Heros
horum temporum, & fortis Gigas latissimi hujus orbis, universi maris albi atrique & sanctae civitatis Me-
cha, splendore Dei relucens & caritatis Modina: sanctaeque & castae urbis Ierusalem Dominus, Rex no-
bilissimi Regni Aegypti, Dominus terra Ionia, civitatumq; Athenarum, Senarum, sacri templi Dei Za-
bilon & Bassio, Rethsan & Magodin: sedes ac solium magni Regis Nashin Rettam, & Domi-
nus insulae Algiera & Princeps Regnorum Tartariae, Mesopotamiae & Medorum, Georgianorum &*
E univer-

universa Gracia, Morea & Anatolia, Asia, Armenia, Walachia, Moldavia & totius Hungaria, aliorumque quamplurium regnorum & dominiorum, quorum ego sum Imperator, ter magnus ille Caesar Soldanus Solimanus, filius magni Imperatoris Soldani Selim, qui à Deo habeo potestatem ad regendum in freno omnes populos, & potentiam ad aperiendum omnium civitatum & fortalitorum portas & claustra, in manu mea potenti traditi sunt omnes fines terra nullis exceptis, ego Dominus Orientis à terra Tscinusque ad fines Africa, quem Deus fortem in acie gladii bellatorem constituit, inter cujus potentissima regna pro minimo reputatur at castrum inexpugnabile Casarea & pro vilissimo reputatur inter hereditarias meas ditio- nes Imperium seu dominium Alexandri Magni, mecum est fortitudo totius mundi & virtus firmamenti.

31. Rex Bisnagensis vocari voluit *sponsus bonæ sortis, magnarum provinciarum Deus, Regum potentissimorum Rex, omnium æquitatum Dominus, magister & doctor loqui nescientium, trium Imperatorum Imperator, omnium quæ videt conqueritor, conqueritorum conservator, quem octo mundi partes metuunt, exercituum Mahumeticorum destructor, omnium provinciarum, quas subegit, Dominus, eques cui nemo par, & fortissimorum quorumque debellator, elephantorum venator, Dominus Orientis, Austri, septentrionis & maris, Ampliss. Jctus Gerh. Feltman Fautor & Amicus honor. lib. I de titul. honor. cap. II num. 12 Vincent. le Blanc. itiner. p. I. c. XI.*

32. Rex Achemensis epistolam ad Jacobum I. Magnæ Britannia Regem scriptam ita orditur: *Pedrucka Sirie Sultan ein König der Könige/ Durchlechtig wegen seiner Kriege/ der einige König von Sumatra, ein König der mehr gefürchtet wird als alle seine Vorfahren/ der nicht allein in seinem Königreich ein grosses Ansehen hat/ sondern auch von demselben und der ganzen Nachbarschaft uff das stattlichste geehret wird/ in dem das Bild eines rechten Königs ist: in dem alle Tugenden eines Königs hervor leuchten/ der gleich dem reinsten Metall unter allen Metallen/ gezieret mit den schönsten Farben die zu finden sind/ dessen Stuhl und Thron gleich ist dem klährsten Crystall/ sauberer und berühmter als das allerbeste Glas/ von dem fleust der reinste Strohm der Mild- und Gerechtigkeit/ dessen Gestalt gleich ist dem allerfeinsten Gold/ ein König von Priaman und den Goldbergen/ ein Herr von neun unterschiedlichen Stämmen/ ein König zweyer Sumbrezons von lauter Gold/ der vor seinem Königlichen Sessel hat ein Maß Gold/ dessen Kleidung und Harnisch vor sich selbst und dessen Pferd von klährem Golde ist/ seiner Elephanten Zähne nebst aller Zugehörung sind verguldet/ dessen Speer halb Gold und halb Silber/ dessen Sattel auch von gedachtem Metall ist/ seine Zelten sind von Silber/ sein Pittschafft halb Gold und halb Silber/ sein Begräbniß lauter Gold/ obschon seiner*

seiner Vorfahren nur halb von Gold und halb von Silber gewesen / ein König / dem gedient wird in ganz Gold und Silber / ein König / unter dem viel andere Könige sind / ein geschworen König von Auroro, ein König der Länder von Priaman, Tecoo, Babaroufe, welche er unter seine Gewalt gebracht / der jekunder auch siebenzig Elephanten mit vielem Proviant und anderen nöthigen Sachen über See nach Auroro gesand / umb den Krieg aldar fortzusetzen / und dem Gott mehr Glück und grössere Victorien gegeben als jemand seiner Voreltern. Dieser gemelte grosse König entbeut in diesem Brieff Jacobo, König von Groß-Britannien / als nehmlich Engelland / Schottland / Frankreich und Irreland seinen Gruss.

33. In Africa Rex Habessinorum (α) in literis Emanueli Portugalliae Regi anno 1521 scriptis audit: *Dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis judae, filius David, filius Salomonis* (β) *filius columna Sion, filius Nau per carnem, Imperator magna & alta Aethiopia, magnorum regnorum & ditionum & terrarum Dominus, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angole, de Baru, de Baaliganze, de Aden, de Vanguie, de Gojame, ubi Nilus oritur* (γ) *de Damaraa, de Vagnemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, unde fuit Regina Saba, de Bernagaes & Dominus usque ad Nobiam finem Aegypti, ex Damian. à Goës de morib. Aethiop. Dn. Becm. d. loco.*

- (α) Ita scribere malumus cum Magnif. Dn. Jobo Ludolpho, Viro orientalium linguarum callentissimo in *historia Aethiopica*, quam cum aliis *Abyssini* aut *Abasseni*.
 (β) Quare is dicatur Salomonis filius? eleganter expressit Patronus noster Ludolphus *lib. 2. hist. Aethiop. cap. 3* & Celeb. D. Becman. *hist. orb. civil. cap. 11 num. 12.*
 (γ) Nilum in regni *Gojam* provincia *Sabala* oriri dubium amplius non habet per ea quae ex Kircheri, P. Petri Pays & Gregorii Habessini relationis scribit laudatissimus Dn. Ludolphus *lib. 1. hist. Aethiop. cap. 18 num. 18* seqq. & Dn. Becm. *hist. Geogr. orb. cap. 3 num. 18.*

34. Rex Maroccensis anno 1606 ad Foederati Belgii Ordines dedit literas, quae longissimum continebant titulum triginta versibus rythmicis conscriptum, quem sequebantur tres aut quatuor lineae, rem ipsam, cujus causâ epistola exarata erat, exponentes, ita ut prologus fabulâ multis partibus major esset, post Scaliger. *epist. ad Steph. Ubert. & Thomam Lanf. orat. contra Polon. Dn. Becm. d. loc.*

35. Saladinum in Literis anno 1430 scriptis se appellasse mächtigen König und Soldan / Herrn zu Babylonien / zu Tartey / in Egypten / Catamyten und Elanree / Fürst der Juden in Achemyten / König des Edlengesteins in Indien / Probst des irdischen Paradis / Vogt der Höllen / gewaltig von Sonnen Aufgang bis in Niedergang / gewaltiger König aller Könige / Fürsten und Herren / Gebieter von dem Thurn Babylon bis an den Berg Arab / obrister Raht

und Fürst der Götter/ Fried der Juden/ Untreiber der Christenheit/ Schirmer des Grabs und Landes Hierusalem/ ex Petermanni Etterlin Chronik der Löbl. Eidgenosschaft pag. 7 refert Limnæus lib. 6 jur. publ. cap. 5 n. 127.

36. Rusliæ Czarus Basilius superiori seculo *Magnus Dei Camerarius* vocari voluit, Dn. Becman *d. loc.* Rex Siamensis dicit se *Prechau Saleu*, id est *sanctum Dei membrum*, Jacob Scholtzen *descrip. regni Siam in append. pag. 330.* Magnus Mogol in literis ad Regem Persiæ Schach Abas se appellavit *Regem totius orbis terrarum.* Ejus autem avus se vocavit *Regem justitiæ, lumen & splendorem legis Mahometanæ, victorem mundi* referente Simone de Vries *in curiosen anmerkungen der Ost- en Westindische dingen tom. 2 p. m. 1222.* Idem Vries *d. tom. 2 p. 1314* scribit Regem in Ceylon se nominare *Dominum aurei solis.* Imperator Carolus Calvus *Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium* appellari se jussit, quod ex Annalibus Fuldensibus ad ann. 876 notavi *dict. dissert. de sororib. Caroli M. Imp. n. 18.*

37. Rarò occurrens est illa formula, quâ Hippolitus Guarimonius Doctor Med. librum Ingolstadii 1610 impressum, cui titulus: *die Greuel der Verwüstung Menschlichen Geschlechts / B. Mariæ Virgini* dedicavit: *Der allerheiligsten/ großmächtigsten Fürstin und Frauen/ Frauen Jungfrauen Maria/ gekrönten Keyserin des Himlischen Reichs/ Großherscherin der neun Englischen Heerscharen/ gebohrnen Königin zu Israel/ Churfürstin des gelobten heiligen Landes/ Fürstin aus Juda/ triumphirenden Zerfnirscherin der alten Schlangen/ gewaltigen Überwinderin der Heyden/ Siegreichen Verwüsterin der Ketzer/ allermächtigsten Frauen der ganzen Welt/ Jungfräulichen Gesponß/ und Mutter des allerhöchsten ic. Meiner nach Gott/ allergnädigsten Keyserin und Frauen.*

38. Nonnulli quoque ad titulorum ampullas referunt Caroli V. Imp. elogium sepulchrale, quod, teste Octavio Strada *de vitis Impp. p. m. 490 in fin.* legitur Granatæ in Ecclesia cathedrali hujus tenoris: *Imp. Cesari Carolo V. Pio, Felici, Augusto, Gal. Max. Indico Max. Tunico Max. Aphric. Max. Sax. Max. victori, triumphatorique multarum Gentium, tametsi terra marique res ab eo gesta, singularis humanitas, incomparabilis prudentia, ardentissima religio, satis terrarum orbi conspicua sint, republ. tamen Christiana, ob memoriam Justitiæ, Pietatis, virtutisque ejus, victoriam, navimque qua mundum circumvit, quem ipse suis victoriis illustravit, P. quod ego tamen in medio relinquo, satis habens illud heic adposuisse.*

* * * *

ad verb. *aliudque substituere*)

39. Rectissimè sentit Meibomius, nam obtinuit apud Byzantinos, & ipsos quoque Augustos, ut nomina mutarent uxorum suarum quæ Græcæ

non

non erant. Sic costa Johannis Comneni, Ladislai Hungariæ Regis filia, quam *Pyriscam* appellant Bonfinius & Pistorius; *Bertha* Conradi Imperatoris filia, Manuelli Johannis filio nupta, *Irenes*: & filia Ludovici 7 Regis Gallia *Agnesa* Alexii Comneni jugalis (ita vocatur uxor in l. 8 §. 3 *Cod. de repud. l. 3 §. 1* & l. 5 §. 1. *Cod. de advoc. divers. judic.*) nomine *Anna* insignitæ sunt. Exempla alia ejus moris suppeditat Dn. Carol. du Fresne in *familiis Byzantin.*

40. Illam autem μετονομασίαν, non tam ob nominum exoticorum & quæ ægre efferri vix possent dissonantiam, instituebant, quàm quod in illis originis Latinæ vel Germanicæ, & hinc cultus Romani vel Papalis notam omnem abolere studerent, adeò ut antequam in manus convenirent, iterati baptismatis, in quo nomina dari vel mutari consueverant, speciem quodammodo in uxoribus Latinis & exteris adumbrarent; quod inde meritò conjicio, quia Græcis illud olim objecit Anselmus, Episcopus Halverbergensis lib. 3 *dialog. cap. 21* inquit: *Sicut audio consuetudo apud vos est, ut si quando Græcus uxorem Latinam ducere voluerit, sicut plerumque fit, & sicut etiam inter personas Augustales sæpe factum esse dignoscitur, quod prius oleo sanctificato in vase aliquo infuso eam perfunditis & per totum corpus lavatis & sic demum quasi in ritum & legem vestram transiens matrimonio copulatur, quod quare fiat? si tamen fit, oppido scire vellem, videtur enim forma quædam esse rebaptizandi vid. Fresne glossar. V. nomina.*

41. De nominum mutatione apud Pontifices Romanos, Judæos, Græcos, Habessinios & Catholicos adhuc usitata nunc nihil addo, sed remitto talium curiosum ad Celeb. Joh. Strauch. *semest. I amœnit. jur. Can. eclog. I cap. 16* Octoviratum meum seu tractat. de Electoribus Imp. German. *cap. 24 n. 87 seq.* Laurent. Banck. *cap. 9 Romæ triumph. p. m. 151* Buxtorf. *Synagog. Judaic. cap. 49* Hottinger. *topograph. eccles. orient. cap. 5* Cl. Dn. Becm. *notit. dign. diff. 5 c. 2 n. 1.*

(†)

42. Hoc *Nobilissimi* epitheton ad Imperatorum & Regum nostrorum filios quoque transisse videtur. Nam in Litaniis antiquis sub Carolo M. apud Joh. Mabillonium V Celeb. *analector. tom. 2* hæc leguntur: *Pipino & Carolo Nobilissimis filiis ejus vita.* Præter Bulengerum non contemnenda habent de hoc elogio Cangeus in *glossar. h. voc. & Becm. in not. dign. diff. 2 c. 1 n. 3.*

(††)

ad verb. *sed malè.*)

43. Luitprandi verba isto loco, teste Carolo du Fresne *gloss. Voc. Bulla tom. I p. 641* ita habent: *His dictis atque completis* χειροβέλλιον, id est, *epistolam*

F

stolam auro scriptam & signatam mihi dederunt vobis deferendam, hinc sine causa culpatur præstantissimus ille Episcopus.

(+++)

ad verb. *qui nobis est Cancellarius.*)

44. Antiquissimis temporibus Cancellarii nomen planè ignoratum fuit, nec in pandectis Juris Civilis ea vox invenitur. In Codicis tamen Justinianæi titulo de *Assessoribus & Domesticis & Cancellariis Judicum* sæpe Cancellariorum nomen occurrit. De etymologia verò Cancellarii non una est scriptorum sententia. Spigelius in *Lex. jur.* Cancellarium à *cancellando* dictum fuisse putat, quando ait, *Cancellarii officium est rescripta vel responsa Imperatoris & mandata inspicere, & male scripta cancellare, bene autem scripta signaculo suo obsignare.* Consentiant Budæus & Oldendorpius.

45. Idem statuit Johannes Sarisburiensis, Thomæ Becketi Cancellarii Anglici coævus in *præfat. Polycrati*, ubi librum suum ita alloquitur:

*Quærendus regni tibi Cancellarius Angli
Primus sollicita mente petendus erit.
Hic est qui leges regni cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit.
Si quid obest populo, vel legibus est inimicum,
Quicquid obest, per eum desinit esse nocens.*

Et Alexander Nekham *super cantic. lib. 4 cap. 5* de eodem Becketo ita: *Beatus siquidem Thomas Cantuariensis, dummodo Cancellarius fuit, leges iniquas Cancellavit.*

46. De Cancellarii vocula ita ludunt Josias Nolden *tract. de Consiliar. diff. 12 n. 4* & Celeberr. Dn. Joh. Otto Tabor *de suffragio p. 150* quod nomen *Ganzler* inde non sit deducendum, quasi ille esse debeat *ganz lehr* / sed per *synæresin ganz gelehrt*. Nonnulli autem Cancellarium ita dici, quod intra secreta cancellorum septis clausa (*in der Ganzellen*) res civiles tractet.

47. Alii, inter quos est incomparabilis Seckendorffius, magnum gentis suæ & ordinis equestris decus, *part. 2 des Teutsch-Fürsten Staats cap. 6*, inveniunt *Cancellarios* dictos fuisse qui cancellos servabant, ut velarii, qui ad vela, quibus fores obtendebantur, custodiarum, scriniarum, arcarii. Ac ejusmodi Cancellarii in domo Augusta jamdudum fuerunt sub dispositione Magistri officiorum, Jacob Guther. *de offic. dom. Aug. lib. 3*. Consistorii enim regii fores, ut ex Corippo Sirmondus notat, velis prætendebantur, proxima hinc statio cancellis septa & clausa, intra velum, hoc est consistorium

rium ipsum, admissi Comites & participes consilii, satellites inter cancellos & vela substitere. Quemadmodum itaque vela servabant velarii, ita cancellos ostiarii, cancellarii. Ita quoque sentit Franciscus Hotomannus in *commentar. verb. jur. civil.* scribens: *Cancellarius idem qui Actuarius, inde ducto nomine, quod ejus officium, id est cellula, in qua scribere consuevit, cancellis munita sit. Nam cum actuarii officium libellis sive chartis sit refertum, & frequentes habeat interventores, neque ab illorum colloquio prohibetur, & ab amittendarum chartarum periculo abest.* Plura qui de hac materia legere cupit, evolvat Bernhaldi à Mallinkroth *tract. elegantem de Archi-Cancellariis Imperii & dicti Mei tract. de S. Imperii Electoribus caput 13.*

(++++)

ad verb. *Nadabus Agmonius.*)

48. Sub nomine hoc Hebraico Nadabi Agmonii latet *Franciscus Junius*, Celeberrimus ille quondam Heidelbergensium & Leidensium Theologus, quod didici ex Viri clariss. Pauli Colomesii *opusculis* & in specie *clavi epistolarum Casauboni p. m. 167* & libro ejusdem, cui titulus *Mélanges historiques p. 50* vid. m. Celeb. Gerh. Joh. Vossii *præfat. libr. de Historicis Latinis.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



AB 60 537


ULB Halle 3

005 996 007



VD 17





ANDRONICI

Ejusdem nominis SECUNDI

RIS CONSTANTI-
POLITANI

A BULLA

DATA

CHRISTI MCCCXXX

NRICO

filio, Alberti Magni Nepoti,

BRUNSVICENSIS

s Orientis perlustranti.

Cum NOTIS

CI MEIBOMII

niâ-Lippiaco-VVestphali

ci & in Acad. Julia Prof.

ondam celeberrimi.

Et

TIUNCULIS

NTERI THÜLEMARII.

Tertium recusa

NO M DC XCVII.

